



2b. 15



Magister Georgius Neander. cuius praesentia honor et gloria

201

QUOD ECCLESIAE ET REIPUB.
LITERARIAE BENE
vortat

DECANUS

FACULTATIS PHILOSOPHICAE
IN ILLUSTRIS ELECTORALI
Academia ad via-
drum

M. GEORGIUS NEAN-
DER GRÆCÆ LINGUÆ
Profess. P.

*tempore monitus
officij ratione adductus*

Philosophiae & liberalium artium Studiosos
ad petenda Philosophicorum honorum
insignia peramanter
invitat.



Literis

MICHAELIS KOCHII.



21

REGIO ECCLESIAE ET ACADEMIAE
LITTEARUM BEROLINENSIS
1798

DECANI

FACULTAS PHILOSOPHICA
INSTITUTUM BIBLIOTHECAE
LITTEARUM BEROLINENSIS

M. GEORGIUS NEAN-
DER GRÆCÆ LINGUÆ
PROFESSOR

INSTITUTIONES PHILOLOGICÆ
ET GRÆCÆ LINGUÆ
IN QUAS PRÆCIPUE
DIVIDUNTUR

MICHAELIS ROEMERII



VM multa ab A

scræo vate, qui se laurum ab ipsis accepisse Musis gloriatus est, in libris ἔργων καὶ ἡμερῶν præclare & divinitus dicta sunt: tū haud scio an quicquam præclarius, atq; ad vitam hominis honestè tuendam laudabiliterque agendam

accommodatius hisce versiculis:

Ἐξ ἔργων ἄνδρες παλύμηλοί τ' ἀφνειοί τε
καὶ τ' ἐργαζόμενοι πολὺ φίλτεροι ἀθανάτοισιν
ἔσονται, ἢ δὲ βροτοῖς, μάλα γὰρ συγέσθιν ἀεργῆς.
Ἔργον δ' εἶδεν ὄνειδος, ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος.

Quibus sanè verbis non Helotum solum, ut Cleomenes olim putabat, sed etiã civium ingenuorum Poeta Persæ fratri cunctisque mortalibus assiduitatem & diligentiam commendat, eisdemque ab ignavia & turpi otio seriò dehortatur. Inter omnia enim vitia, quibus hominum genus, maximè est obnoxium, socordia in primis detestanda & fugienda: quod non solummodo libidinum & aliorum vitiorum origo sit & statuatur, sed Corpori etiam & animo hominis detrimenti multum importet. Enimverò quis inficias juerit? ignavos in timore nimio educari, & non modo servilem abjectumque animum semper habere, cum nullam vim, nullaque pericula forti animo subeant & perferant, sed vel somno nimium in-



dulgeant, vel mali semper aliquid agant: verum etiam
corpori suo non parum incommodare: dum multos
pravos humores torpore suo cumulant, gravissimos &
periculosissimos morbos, immo sapissimè mortē ipsam
ante tempus à Deo præstitutum sibi accersunt. Quin &
Deus ipse ignavis infensissimus est, eosque fame, inopia,
morbis affligere & alijs gravissimis pænis afficere solet.
Atque eam ob causam Salomon, quo Sol sapientio-
rem in his terris nullum conspexit unquā, ignavum exhibet
pannis obsitum, lacerū, squallidum, manib. complicatis
dormitantem, quem egestas ut viator armatus circū ob-
sideat. Nec quisquam hominum benè sentientium est,
qui socordes & inertes ulla re præclara dignos iudicet, &
non potius tanquam inutilia terræ pondera execret, r.
probris afficiat & puniendos existimet. Unde rectè Fa-
silius: *μίσος ὄλιγος ἀξία ἢ καταγνώσις ἢ ἀργία, μόνον ὁ καὶ
μελίσσης χείρονα ποιεῖται τὸν ἀνθρώπον* h. e. Otium profectò
condemnatione & odio dignum, quo formicis & apibus
deterior homo redditur. Aegyptij suorum inertiam ca-
pitalibus pænis coercerant. Nabathæis morem fuisse le-
gimus, ut negligens, remissus & otiosus, qui opes pater-
nas ignavia minuisset, pæna multaretur; & Sardoia lex,
teste Aliano, unumquemque laborum, victus, totiusque
vitæ rationem reddere cogebat, ignavis turpique otio
diffluentibus pænas infligebat. Quemadmodum igitur
ignavia atq; negligentia hominibus tanquam probrum
meritò obicitur, unde quos Græca lingua malos *Φαύλους*
vernacula nostra ignavos *faule*; & quos illa ignavos
ἀργούς, nostra malos *arge* appellat, quod scilicet & segnes
sint improbi, & improbi segnes in rebus bonis efficien-
dis: ita diligentia seu labor in iisdem, maximè si floren-
tis sint ætatis, non immeritò commendatur: Et ut illa
cane

tane & angve pejus fugienda & vitanda: ita hic libenter
suscipiendus & fortiter est perferendus: Cum & à Deo
hominibus imponatur & præmia amplissima consequatur.
Esi enim omnia bona à divino & cælesti numine
proveniunt: ea tamen non cum ignavis & desidiolis, sed
sedulis & laboriosis communicantur: ut præclare dixit
Epicharmus: τῶν πόνων πωλεῖσιν ἡμῖν πάντα τὰ γὰρ οἱ θεοί.
Ac utilis quidem labor, honestis rebus qui impenditur,
Cum animo, tum corpori humano censetur: illi, ne tor-
pescat & labefactetur, ineptusque ad honestas & laudabi-
les actiones edendas reddatur: huic, ne pravis succis re-
pleatur, & morbis gravibus periculosisque affligatur, sed
benè temperatum constituatur, animoque fidelem præ-
stet operam in fugiendis turpibus & prosequendis re-
bus honestis. Ex quo rectè Basiliius scripsit: Ἔστιν ἐκ πόνων
ὑγεία καὶ ἐξ ἰδρώτων σωτηρία Ex laboribus valetudo, ex su-
doribus salus: & Plato, ἡ τῶν σωμάτων ἕξις ὑπὸ ἡσυχίας μὲν
καὶ ἀεγίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ τὸ πο-
λυσώζεται h. e. Corporum habitus quiete ac otio cor-
rumpitur, exercitijs & motibus magna parte conserva-
tur. Necessarius autem est, tum ut ignominiam & famem
fugiamus, tum ut honestè nos & nostros in hac ærumno-
sâ vitâ sustentemus: nam teste Horatio,

Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus:

& eleganter Critias apud Stobæum ait:

μοχθεῖν ἀνάγκη τὸς θελοῦντας εὐτυχεῖν,

Laborare necesse volentibus fortunatos esse.

Jam verò non profani solum, sed & sac.: scriptores labo-
rem, ad quem nati sumus, nobis commédant. Hinc illud
Solymorum Regis & Psaltæ: Labores fructuum tuorum
edes, beatus es, & præclare tecum agetur; & Siracidæ:

*Commendatio
laboris*

Ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σε γίνε ἐν ῥεχῆς, ἢ πᾶν ἀρρώστημα ἔμῃ σοι
ἀπαντήσῃ, In omnib. operibus tuis assiduis esto, & nullus
te morbus corripiet: & Gentium Apostoli: εἴ τις ἔθέλει
ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω Qui non vult laborare, non debet
manducare. Laertius Cleanthem Philosophum alterum
Herculem vulgo dictum fuisse tradit, quod esset omni-
um laborum patientissimus, adeo ut noctu hauriendo ē
puteo aquam victum diurnum pararet: unde & Φρεάν-
της pro Cleanthe dictus. Sic Maximilianus imperator
laborum tam patiens fuit, ut in multam noctem crebro
scriberet, res magnas ageret, sæpè etiam arma tractaret;
æstum & frigus, in ediam, & commeatus penuriam æquo
animo ferret. Quod si hominum exempla ad laborem
nos incitare non valent, moveant saltem brutorum ani-
mantium, formicæ maximè, quæ non interdum solum, ve-
rum etiam noctibus laborem exercet, itemque apum:
Unde ad utrasque Sapientissimus mortalium Salomon
tanquam ad vitæ & laborum magistras nos remittit. La-
borem autem non Corporis tantum, sed animi quoque u-
tilem & necessarium esse existimamus ad quævis bona à
Deo impetranda. Nemo enim virtutem & eruditionem
absque labore & sudore est consecutus: quia, Hesiodo
teste,

Τῆς ἀρετῆς ἰδεῶντα θεοὶ περὶ ἀργίδην ἔθηκαν,
Virtutem posuere Dij sudore parandam.

& Basilus affirmat: nihil bonorum facile esse, nullum
dormientem trophæum unquam fixisse, neque in deli-
tibus viventem & cantibus sese oblectantem, pietatis co-
ronis esse decoratum; nec aliquem, qui non cucurrerit,
palmam & brabæon retulisse: labores gloriam parere, su-
dores coronas comparare. His coronis & hac gloriâ di-
gni quovis tempore judicati sunt, qui assiduis laboribus,
inde-

id est

3

indefesso studio & cura magnam bonarum rerum supellectilem sibi compararunt, artes ingenuas & utiles optime didicerunt, & virtutibus sedulam navarunt operam; ut nempe & laborum suorum acciperent auctoramentum, & ad res præclare in posterum gerendas verum haberent incitamentum. Vix enim invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Hæc una Herculem ad labores omniaque pericula fortiter subeunda impulit, ut nihil tam horrendum, tamque arduum fuerit, quod labore & patientia non ab eo sit superatum. Hæc finis studiorum est, ad quem tendunt, & quo potiuntur boni, modesti & industrii juvenes, qui in artium humaniorum stadio spacia non parva fecerunt. Et quemadmodum corona oleaginea victoribus olim in olympicis certaminibus ab ipso Hercule primum institutis proposita, etsi non magni erat pretij, tamen quia ob virtutem dabatur, amplissimum censebatur præmium: Sic honores, qui optimarum artium & linguarum studiosis, in philosophiâ pentathlis tribuuntur, non ad tempus, sed perpetuo duratura virtutis & doctrinæ sunt & habentur bræbæ. Quæ cum Academia nostra permissu Serenissimi Electoris, more à majoribus instituto & recepto publice eruditione & virtute præstantibus viris conferre soleat, & à Decanis quolibet semestri requirat, ut non tantum declamationes & disputationes frequentes, sed promotiones etiam h. e. graduum Philosophicorum collationes & renunciationes habeantur: Officium Decanatus, quo ex voluntate Amplissimi collegij Philosophici hac æstate fungor, à me exigit, ut publico programme modestos & instudijs honestarum artium probe versatos juvenes & adolescentes ad honorum gradus & titulos

peten-

petendum invitam, aditumque ad consequenda virtutum & doctrinae insignia patefaciam. Vos igitur adolescentes & juvenes lectissimi, qui non ignaviae & luxui, sed honestis laboribus dediti fuistis, omnemque diligentiam & operam in artibus ingenuis perdiscendis & moribus recte informandis adhibuistis, amice compello, & officij ratione hortor, ut publica illa doctrinae virtutisq; testimonia vestrae non negligatis, sed primo quoque tempore à Collegio nostro petatis, certoque statuatis, vos illis non impeditum, ut multi perperam sentiunt, sed melius adjutum, & celerius promotum iri: Cum morum & studiorum exploratio, quae à Collegio nostro instituitur, sapissime in causa sit, ut alij cum majori auctoritate doceant, alij ad majora & honestiora officia evehantur, & pluribus bonis augeantur. De meo & Collegarum meorum favore & humanitate non est quod dubitetis: cum huic semper studeamus, illum modestis & in literis humanioribus probe versatis viris & juvenibus nullo non tempore exhibeamus. Quod restat, Deum Opt. Max. supplici voce & mente precemur, ut in hoc turbulentissimo Germaniae, Communis nostrae patriae, imò totius Europae statu tranquilla Ecclesiae suae, & quae ejus seminaria sunt, scholis, hospitio largiatur, omnia corporis & animae pericula & mala capitibus nostris imminencia clementer averruncet, ne cum impijs pereamus, sed cum pijs & fidelibus ipsum trinunum in aeternum celebremus. Valet. P. P. sub sigillo Decanatus nostri. prid. Idus Quintileis,

anno 1622.



Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







by labor. cuius primum honor et gloria

201



Æ ET REIPUB.
 Æ BENE
 ac

ANUS

HILOSOPHICÆ
 ELECTORALI
 ad via-

IS NEAN-
 E LINGUÆ
 P.

nitus
 ne adductus

um artium Studiosos
 icorum honorum
 amanter
 t.



is
 KOCHII.

